



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CLIV. An ratio doni conueniat Spiritui sancto ratione essentiæ, vel
proprietatis personalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

est, vel ita, vt pro eodem accipiat dari, & aptū esse, vt detur. Porro ipsum loqui de dono, quatenus donari potest, intelligitur ex verbis, quæ de eodem Spiritu sancto mox subiungit: *Apud se autem Deus est, etiamsi nemini detur, quia Deus erat Patri & Filio coæternus, antequam quidquam donaretur.* Ergo cum 4. de Trinitate, vt infra videbimus, August. affirmet donum esse proprietatem Spiritus sancti; efficitur, ut eo etiam loco asserat ipsum esse donum, antequam actu donetur.

Id quod natura sua donum est, proprietas est Spiritus sancti. S. Thomas. Bonauent.

His positis, quæ indubitata esse debent, vera sententia est, rationem doni, quod sua natura donum est, esse proprietatem Spiritus sancti, & nulli alteri conuenire personæ. Sic docet S. Thom. in artic. 2. bonauent. in 1. dist. 18. quæst. 4. intelligunt autem donum respectu creaturarum, quibus donari aptum est vi suæ processionis. Ceterum pro explanatione prædictæ sententiæ obserua, dupliciter accipi posse donum, vno modo pro quacumque re quæ liberali voluntate ei accedente donari potest: huic autem rei ratio doni prouenit extrinseca tantum denominatione à voluntate donantis, quæ illi omnino accidentaria & extrinseca est. Hac ratione donum dici potest, non tantum quæcumque diuina persona, & ipsamet essentia diuina; sed etiam quæcumque res creata, quæ liberalis donationis materia esse potest: nam & diuina essentia, & quæuis persona diuina; & res creata donari potest. Adde quod Spiritus sanctus alia quoque ratione habet esse donum, quod donari potest, vt statim patebit nihilominus hac priori acceptione etiam donum est respectu sui tanquam donantis, hoc est, si cogitemus Spiritum sanctum seipsum donare cum essentia diuina, & cum aliis personis, sicut donatur, cum venit in animam iusti, iuxta illud, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, sic est donum creaturarum, quod à seipso donatur, sicuti Pater, & Filius, hæc tamen non est proprietas Spiritus sancti, cum multis aliis communis sit.

Donum posteriori acceptione est proprietas Spiritus sancti.

Eadem missione qua mittitur Spiritus sanctus donatur ab eo à quo mittitur.

Altero modo dicitur donum, quod natura sua & proprietate substantiali donum est. Hoc autem modo est proprietas solius Spiritus sancti, id enim habet vi suæ productionis, non voluntate aliqua ei accidentarie aduenienti, sicut in priori acceptione contingit. Atque hoc modo puto necessariam esse distinctionem realem inter donum, & eum, qui donat, id quod hac ratione melius explicabitur. Missio Spiritus sancti, qua ad nos aliquando mittitur; est ipsamet æterna processio, addito solum respectu rationis ad creaturas, ad quas mitti dicitur ratione alicuius peculiaris effectus, vt disp. 170. ostendemus eadem autem missione, qua Spiritus sanctus mittitur donatur ab eodem, à quo mittitur: cum enim missio hæc sit natura sua amor; & quatenus denotat ordinem ad creaturas, sit gratuitus, sicut is, qui ea mittitur, liberaliter quoque donetur. Habet igitur Spiritus sanctus vi suæ processionis, quæ est amor intrinsece posse donari, non voluntate & amore ei aduenienti, vt principio donandi, sed ipsomet amore, quo substantialiter procedit, ut ipsa donatione, quia amore etiam ipso substantialiter mittitur: & ipsa missio est donatio: at vero Filius, etiam quando à Patre mittitur, à quo procedit, non mittitur amore ipso, hoc est, missio illius non est amor substantialiter, sed est intellectio: ei autem additur amor quasi accidentarie & tanquam principio, quo

mouetur Deus Pater, vt Filium suum generatione & intellectu, tanquam missione mittat, & donet: ergo Filij processio non est substantialiter ipsa donatio: quia non est amoris processio: sed est donatio ratione solum amoris, quo tanquam principio mittitur, & donatur: cum tamen Spiritus sanctus ipsa dilectione æterna vt missione mittatur, & vt donatione donetur. Quomodo vero ipsa missio sit æterna personæ processio, eo loco ex doctrina Patrum & ratione monstrandum est. Hæc sane est proprietas Spiritus sancti, de qua Augustinus sequenti disputatione allegandus dixit eo esse donum, quod est spiritus: quæ nulli alteri personæ diuina, nec creatura aduenire potest: nam quæcumque alia non est substantialiter, sed extrinseca solum denominatione amor.

Ex dictis sequitur primum, quæ ratione primum donum dicatur amor, nimirum quia amor si donari posset inter homines, sicut res alia, substantialiter & vi suæ processionis esset donum: cetera autem ex ipso dona dicerentur.

Deinde patet, recte dici cum Aug. 5. de Trin. 4. Filium procedere à Patre, vt natum: at vero Spiritum sanctum vt datum, quia Spiritus sanctus procedit substantialiter amore & dilectione, quæ est ipsa donatio. Quare spiritus non solum vt spiritus, sed etiam vt donum, substantialiter procedit: at vero Filius procedit per intellectum, quæ substantialiter non est donatio, sed generatio. Quod vero per generationem produciatur, exit vt natum, & eius origo dicitur naturalis.

Sed obieci, Filium quoque dici posse substantialiter donum, quia cum sit substantialiter Deus, & Deus sit suapte natura amor & charitas, erit substantialiter donum. Respondeo, sicut Spiritus sanctus est sapientia natura sua, non tamen dicitur producta sapientia, quia non procedit per intellectum: sic etiam Filius est amor essentialiter, quia Deus est; non tamen est productus amor, quia non procedit per voluntatem. Ad rationem autem doni, quod donari aptum est, non sufficit esse amorem essentialiter; sed requiritur esse productum amorem, vt ipsiusmet productio sit substantialiter donatio: hoc autem proprium est Spiritus sancti.

Quomodo autem, cum respectus ad creaturas, qui significati videntur nomine doni, Spiritus sancto omnino extrinsece & accidentarie conueniat, nihilominus donum sit eius proprietas personalis, sequenti disputatione patebit.

DISPVT. CLIV.

An ratio doni conueniat Spiritui sancto ratione essentia, vel proprietatis personalis.

Quid sentiant Scotus, & Caietanus, cap. 1. Spiritum sanctum ratione sue proprietatis personalis, non tantum esse spiritum, sed etiam donum, verum sententia est, cap. 2.

Corollarium præcedentis doctrinae, cap. 3.

CAPVT I.

Quid sentiant Scotus, & Caietanus.

VARIANT quoque Doctores in hac controversia; hæc ex variis namque principiis diuersa colliguntur: ligi necesse est. Scotus 1. distinctione 18. quæst. 1. docet

docet primum non convenire Spiritui sancto esse donum ratione proprietatis personalis. Probat autem primo, quia quavis persona intelligitur essentia & proprietate sufficienter constituta, antequam intelligatur aliquo modo creaturæ, vt dicitur 14. 3. cap. 4. & 2. vidimus: ratio autem doni necessario respicit creaturas, saltem possibiles: ergo antequam Spiritus sanctus intelligatur esse donum, concipitur iam proprietate personali constitutus: ipsa igitur ratio doni non potest ad proprietatem personale formaliter pertinere. Secundo, ordo ille ad creaturas, qui pertinet ad rationem doni est relatio rationis ad creaturas: nulla autem relatio rationis est de essentia, aut proprietate persone: ergo nec ratio doni. Tertio, quia aliqui Spiritus sanctus bifariam constitueretur: uno modo relatione reali, altero modo relatione rationis, quod est absurdum.

Cæterum, vt defendat Augustinus: qui aliquibus in locis videtur asserere, donum esse proprietatem Spiritus sancti, docet deinde Scotus, donum tribus modis usurpari posse: primo pro eo, quod procedit liberaliter per actum amoris, & hac ratione concedi; Spiritum sanctum esse donum; non quia donari possit, sed quia per amorem liberaliter procedit: sic enim donare non est liberaliter dare, sed liberaliter procedere. Secundo dicitur donum mutus amor duorum, quo pacto etiam Spiritus sanctus dici potest donum Patris in Filium, & contra: & ita concedit esse proprietatem Spiritus sancti. Tertio denique donum dicitur id, quod liberaliter datur, & hoc modo donum non est proprietas Spiritus, nec donator proprietas spiratoris: quia formale significatum huius nominis, donum, est respectus donabilitatis, qui Deo solum convenit comparatione facta cum creaturis: materiale, vero significatum in Deo est proprietas personalis Spiritus sancti, qui creaturis liberaliter donari potest. Eadem proportione de donatore dicendum est, formale scilicet significatum esse respectum rationis ad creaturas; materiale vero esse proprietatem, seu notionem spiratoris. Quam Scoti sententiam in hoc tertio puncto fere amplectitur Caietan. ait enim nomen donum tria significare, & id quod donari potest, & respectum rationis, quem appellat donabilitatis, & alterum respectum quasi possessionis, quod scilicet sitalicitus, nempe eius, à quo donatur. Inquit igitur primarium significatum esse respectum donabilitatis: respectum vero quasi possessionis, qui est personalis proprietas, connotari: materiale autem significatum esse amorem.

Hæc sententia in primis non satis consonat menti Aug. ille namque loquitur de dono, quod creaturis donari potest; cum asserit esse proprietatem Spiritus sancti, vt ex locis precedenti disp. allegatis, vix itis, quæ infra referemus, perspicue appareat. Ergo hoc pacto defendere debemus proprietatem ipsam Spiritus sancti esse rationem doni, quam habeat vi suæ originis substantialiter: nam si solum ei denominatione quadam extrinseca conveniret, quatenus donari potest, communis esset ratio doni tribus personis, vt precedenti disp. cap. 2. notatum est. Deinde cum hæc eadem sit mens Doctoris sancti in hac quæst. qui per omnia sensum Augustini secutus est, non satis facit Caietanus muneris suo, cum hoc modo illum defendere conatur.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

Quod si aliquis dicat pro Caiet. Filium non esse amorem personale, qui est materiale significatum nominis donum, sed solum Spiritum sanctum: & ita proprietatem Spiritus sancti esse materiale significatum doni, non autem proprietates aliarum personarum; aduertat obsecro primo, quomodo Caiet. non dicat materiale significatum doni esse proprietatem personale, sed amorem: proprietatem autem personale connotare nomine doni, quasi sit alterius per emanationem: ergo sentit in materiali significato doni includi non directe proprietatem Spiritus sancti, alioqui non esset connotatum illius nominis. Quare Caietan. aliter assignat significatum huius nominis Spiritus, quam huius nominis donum: nam ex sententia illius nomen Spiritus, formaliter & directe significat proprietatem tertie personæ, connotat deinde amorem, & respectum doni: nomen autem donum significat, & connotat alio modo, ut supra explicatum est. Præterea ex hac sententia Caiet. sequitur, rationem doni convenire tertie personæ extrinseca tantum denominatione, quo pacto cuius alteri potest competere: hic autem volumus ita assignare rationem doni Spiritui sancto, vt sit eius proprietas, id enim contendunt Augustinus. & S. Thomas.

Obiis hinc qua potest defendi Caiet. occurrere.

CAP. II.

Spiritus sanctum ratione sua proprietatis personalis non tantum esse spiritum, sed etiam donum, verior sententia est.

Opinio Sancti Thomæ in art. 2. nobis probatur; quæ affirmat tertiam personam sua proprietate personali non solum esse spiritum, sed etiam donum, & eo esse donum, quo est Spiritus, sicut filius eo est verbum, quo Filius. Hanc expressius tradit idem Sanctus Doctor in 1. disp. 8. q. 1. art. 4. & sequuntur Bon. quæst. 3. Capreol. quæst. vnic. ad 1. argum. & ad 6. Marsil. in 1. quæst. 21. art. 1. dubio 4. colligitur autem ex August. 5. de Trin. cap. 1. vbi ita scribit, Sed tamen iste Spiritus sanctus, qui non Trinitas sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus, relationi dicitur, cum & ad Patrem & ad Filium refertur, quia Spiritus sanctus & Pater & Filius Spiritus est, sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem, cum dicitur donum Dei, donum enim Patris & Filij, & paulo inferius, donum ergo donatoris est & donator doni, cum dicimus, relative vtrumque ad invicem dicimus, ergo ex sententia Augustini non solum relatio Spiritus ad Patrem & Filium est ipsa ratio doni; verum etiam ea magis exprimitur nomine doni, quam nomine Spiritus.

S. Thomas, Bonavent., Capreol., Marsil.

Augustinus, Ex sententia Aug. relatio spiritus ad Patrem & Filium magis exprimitur nomine doni quæ Spiritus.

Ex 4. de Trinitate cap. 20. post medium sic ait, Pro eodem Et sius Spiritus sancto donum Dei esse est à Patre procedere, ita muti est cognoscit, quod ab illo procedat, ergo pro eodem usurpat donum esse, & à Patre procedere, sed à Patre procedere est proprietas Spiritus sancti ergo ratio doni est etiam proprietas personalis illius. Et S. Thomas in primum sententiam loco allegato querit, an Spiritus sanctus processione habeat esse donum? Respondet autem hoc modo. Si processio sumatur pro relativa proprietate spiritus processione habet esse donum, sed non esse donum, quia proprietate relativa non est Deus, sed essentia est Deus, si vero accipiat pro origine, per eam habet vtrumque, scilicet & esse donum, quia per eam vt tale produ-

Pro eodem usurpat Aug. donum esse, & à Patre procedere.

Quo sensu dicit S. Tho. Spiritus sanctus processione habere esse donum & Deum.



citur, & esse donum, quia per eam habet communica-
tam essentiam, quæ est Deus.

*Ratio quæ
probatur S.
S. suple
senali pro-
prietate esse
donum.*

Ratione vero prædicta sententia sic probatur, Spiritus sanctus ideo est donum, quia ipse actu quo procedit, donari potest, ut superiori disp. probatum est: hæc enim ratione ipsi soli convenit substantialiter esse donum, cetera vero solum denominatione extrinseca sunt dona: sed hoc habet Spiritus sanctus ratione proprietatis, nam ratione illius procedit per actum amoris, quo donari potest; imo proprietatis illius in ea origine fundatur, ergo habet rationem doni ex proprietate personali, in qua producitur.

6.

Ceterum ut hoc magis explicetur, & argumenta Scoti facilius diluantur, notandum est, in ratione doni ita contineri respectum ad creaturas, sicut etiam in ratione verbi. Quare eodem modo illa erit proprietas Spiritus sancti, sicut hæc est proprietas secundæ personæ iuxta notata in disp. 143. præsertim capit. 6. ut antequam actu denotet respectum ad creaturas, etiam possibiles, constituat personam, vel saltem in omnium sententiam antequam actu respiciat creaturas futuras, quarum nihilominus dicitur verbum: ergo sicut verbum constituitur proprietate verbi, antequam sit actu verbum creaturarum, per hoc solum, quod est verbum patris, & talis in se proprietatis, ut si creaturæ sint possibiles aut futurae, earum etiam fit verbum; sic eodem modo Spiritus sanctus constituitur in ratione doni proprietate personali, non quatenus actu includit respectum ad creaturas, etiam possibiles: hic enim respectus est rationis. ut colligitur ex dictis in disp. 104. capit. 6. sed quia ratione ex se talis exit à Patre, & Filio per amorē, ut si possibiles sint creaturæ, eis donari possit. Quare proprietas Spiritus sancti non erit Donum formaliter sub expressa ratione doni; sed ut Logici dicunt, fundamentaliter, hoc est, fundamentum doni, quod est tali amore produci, erit proprietas illius; & in hoc sensu verum est Spiritum sanctum eo esse donum, quo est spiritus: ex hoc autem principio facile diluuntur omnia argumenta Scoti, quæ cap. 1. retulimus.

7.

CAPVT III.

Corollaria precedentis doctrina.

*Quæ ratione
dicitur Spi-
ritus sanctus
processione*

EX dictis licet primo colligere, quæ ratione dici possit. Spiritus sanctus processione est donum: ut enim notavit Scotus in 1. disp. 18. q. 1. ad 5. processio est commune nomen, quæ tam significat originem, quam relationem, quæ ex origine resultat. Ergo si concipiatur pro origine, non recte dicitur, Spiritus sanctus processione est donum: quia hic modus loquendi penorat effectum quasi formalem processionis, & Spiritus sanctus non est donum, nec spiritus ipsa processione veluti forma: origo enim non dat esse personæ sicut forma, & ideo non est proprietas constitutiva, ut disp. 158. cap. 4. dicemus. Recte tamen dici potest, Spiritus sanctus habet esse donum processione, quia hoc modo loquendi non solum denotatur effectus processionis in genere causæ formalis, sed significari potest quasi in genere causæ efficientis: & quia Spiritus sanctus origine accipit ea, quæ habet, ideo processione hoc modo accepta dicitur habere rationem doni. Si vero sumatur processione pro relatione, recte dicitur, processione

est donum, hoc est, proprietate sua personali veluti forma, sicut processione est Spiritus.

Secundo sequitur, quæ ratione dici possit Spiritus sanctus donum nostrum. Bonavent. in 1. disp. 18. quæst. 6. hæc statuit regulam, ut particula *nos*, prædicetur de his, quæ sunt in Deo, cum aliquo respectu ad nos, vel secundum habitudinem causæ, vel relationis. Hæc ratione dicitur Deus noster, quia nobis tribuit vitam: ideo enim *deus*, Græce dicitur quasi tribuens vitam, ut disp. 18. dictum est. Dicitur etiam tertia persona Spiritus noster, ratione relationis, quæ respicit nos; quia nobis spiratur, vel potius, ut ego censeo, quia nobis inspirare dicitur, bona opera, hoc est ad bona opera nos monere. Qui sane effectus cum sit communis toti Trinitati, nihilominus Spiritui sancto tribuitur per appropriationem, sicut cetera opera gratiæ. Quod si diceretur Spiritus noster, quia nobis spiratur, diceretur etiam Spiritus sanctus noster, quod tamen dici non potest, ut notavit S. Tho. loco statim allegando: hoc eodem modo Deus dicitur pater noster.

Notat deinde Bonaven. hunc ordinem relationis. ratione cuius dicitur Deus Spiritus noster, aut pater noster dupliciter esse posse; primum tanquam possessionis nostræ, quæ ratione spiritus etiam dici potest donum nostrum quia à nobis possidetur: deinde tanquam relatio modo, & sic Deus dicitur Deus noster, & pater noster. Quamvis autem filius Dei dicatur natus & datus nobis, nihilominus dici non potest filius noster, sed donum nostrum: alia tamen ratio est, quam Spiritus sanctus, quia filius non potest dici alienus ratione possessionis, sed ratione relationis tanquam patris: donum autem dicitur ratione possessionis.

Aliam tradit regulam S. Thomas in 1. disp. q. 1. ad 5. quæ parum aut nihil differt à priori ut ostenditur, quæ sunt in Deo, & denotant respectum ad nos aut finis aut efficientis, cetera vero non dicantur nostra. Hanc regulam sequitur Marfil. in 1. q. 2. art. 3. dubio 2. & Camariensis in fine commentarii. Hæc ratione dicitur bonum nostrum: sic enim significatur ut finis dicitur etiam dominus noster, creator noster, &c. ab hac regula excludit S. Tho. abstracta prædicta. Quæ de causa non dicitur esse sentiam diuinam esse nostram, & quamvis dicimus Deus est iustitia & sapientia nostra, proprie habitudinem causæ efficientis: non tamen dicitur, iustitia Dei est iustitia nostra, sapientia Dei est sapientia nostra. Ceterum notat S. Tho. art. 2. ad 1. quod solum dici Spiritum sanctum donum nostrum, quando actu nobis donatur tamen ipse dicitur donum ab æterno, quia donari potest nam particula *nostram* denotat iam actu à nobis possideri: Scotus existimat etiam appellari nostrum, quia donati nobis potest.

Tertio ex dictis sequitur vera interpretatio verborum S. Tho. in 2. art. huius quæst. cum proponitur Spiritum sanctum procedere ut donum, ex quo quod procedit ut amor. Nam quamvis amor sit nomen essentialiale commune tribus personis, Deus enim charitas est, hic tamen accipitur à S. Thom. pro amore spirato & producto: sic autem recte probat esse donum: nam si procedit ut amor, sequitur eius processionem esse dilectionem: sed dilectio suapte natura est donatio, ut procedenti disp. cap. 2. probauimus: ergo impletur pro-

Aut proprietate sua, & vi suae processionis procedit vt donū. Hæc est mens S. Tho. quam meo iudicio non uult allecti Caietan. in art. 2. in tertie solutione quam adhibet argumento Aureoli & Canariens. 2. parte commentarij, dum asserunt eo loco amorem viui pati à S. Thom. neque essentialiter, nec personaliter, sed abstracte, vt sensus sit. Spiritus sanctus procedit vt amor id est instar amoris. Ergo non recte intellexerunt Doctorem sanctum: nam hoc modo solum probaret Spiritum sanctum procedere ad similitudinem doni, non autem vere vt donum.

Sed Aureol. apud Capreol. in 1. dist. 18. qu. vnica, in argument. contra 3. conclus. arguit contra Doctorem sanctum; primo, Spiritus sanctus non est eo donum, quo amor: quia eo est amor, quo est Deus: at non eo donum: quo est Deus: Deus n. est & amor per essentiam, donum autem per proprietatem: ergo male infert S. Tho. ex eo, quod procedit amor, esse donum. Verum ex dictis responderetur, Spiritum sanctum eo esse amorem productum, quo est donum, nempe proprietate personalis; & de hoc amore loquitur S. Thomam, vt prædictum est.

Arguit secundo, quia S. Tho. in art. 1. non dixit, Spiritum sanctum procedere vt amorem, sed vt impressionem, quomodo ergo in 2. artic. vt probet esse donum, assumit eum procedere vt amorem? Respondet bene Caietan. idem esse procedere vt impressionem, nempe voluntatis & vt amorem: inopia n. nominum nunc vno modo, nunc altero loquimur.

Arguit tertio Aureol. quia vel amor capitur essentialiter, vel notionaliter: si essentialiter, inde non probat S. Thom. Spiritum sanctum ex vi suae processionis esse donum, quia amor ea ratione communis est tribus personis: si vero notionaliter accipiatur, sequitur Spiritum sanctum habere peculiarem rationem causæ circa creaturas. Cum enim sit primum donum, quod creaturis donari potest, erit causa ob quam cetera à Deo donentur: hoc autem videtur absurdum, cum omnis efficacia extra Deum communis sit toti Trinitati.

Huius argum. putat Caietan. satisfactum ex sua doctrina, quam supra retulimus, sed ea nobis non fuit probata. Deinde respondet Capreol. amorem ibi capi notionaliter, idem tamen non sequi esse Spiritui sancto peculiarem efficacitatem circa creaturas ratione huius amoris notionalis, quia tota ratio efficiendi essentia, quæ communis est. Ceterum quia quicquid operatur Deus, efficit per voluntatem, ideo oportet (inquit Cap.) vt prius in se habeat Deus formam rerum in intellectu per suum verbum, & per amorem in voluntate, qui est Spiritus sanctus quæ non sunt diuersæ causæ, sed diuersæ rationes in eadē causâ: & hac ratione conuenit Spiritui sancto specialis quedam ratio causæ circa creaturas. Hac tamen solutio minus placeat mihi etenim nulla efficacia, & virtus Dei circa creaturas postulat per se ex parte principij, etiam vt rationem causæ, processionem aliquam intra ipsum Deum: omnis enim creatura dicit à Deo, quatenus essentia, & omnipotentia vnus est; ergo Spiritus sanctus non est primum donum, quia habet peculiarem rationem causæ circa creaturas, quibus alia dona conferuntur.

Romanen. in dist. 18. a. 1. & Marfil. in 1. qu. 21. art. 2. dicunt Spiritum sanctum esse prin. u donum, quia

Vaquez. in 1. pars Tom. 2.

semper datur in ceteris donis gratum facientibus, aut quia est causa exemplaris ceterorum donorum, aut denique addit Marfil. quia subauctoritative est causa ceterorum donorum, hoc est, ab alio accepit esse causam aliorum donorum: id n. denotat particula illa sub auctoritative. Verum multo facilius ratio reddi potest iuxta prædicta in disp. præceden. quare Spiritus sanctus sit primum donum, quia scilicet vi suæ originis substantialiter habet proprietatem doni; aliis vero, siue creaturis, siue diuinis personis, ratio doni denominatiue, & non vi suæ originis conuenit. Rationes a. Bonauen. & Marfil. non tam exacte explicant rationem primi doni: tum quia cum ce eris donis non tantum datur Spiritus sanctus sed alix quoque personæ, quamuis in donis gratiæ appropriatione solum dicatur peculiari modo dari Spiritus sanctus, tum etiam, quia ita Filius habet ab alio esse causam ceterorum donorum, sicut Spiritus sanctus.

Supererat hic, vt disputaremus, an ratio doni esset peculiari notio distincta à processione: de hoc tamen satis superque dictum est disp. 137. c. 5.

QUESTIO XXXIX.

de personis ad essentiam relatis.

Post ea quæ de personis diuinis absolute tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, & ad proprietates, & ad actus notionales, & de comparatione ipsarum ad inuicem.

ARTICVLVS I.

Vtrum in diuinis essentia sit idem quod persona.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in diuinis essentia non sit idem quod persona. In quibuscunque n. essentia est idem quod persona, seu suppositum, oportet quod sit tantum vnum suppositum vnius naturæ, vt patet in omnibus substantiis separatis. Eorum n. quæ sunt idem re, vnum multiplicari non potest, quin multiplicetur & reliquum. Sed in diuinis est vna essentia, & tres personæ, vt ex supradictis patet. Ergo essentia non est idem quod persona.

2. Præterea. Afirmatio & negatio non verificantur de eodem. Sed afirmatio & negatio verificantur de essentia & persona: Nam persona est distincta, essentia vero non est distincta. Ergo persona & essentia non sunt idem.

3. Præterea. Nihil subiicitur sibi ipsi. Sed persona subiicitur essentia. Vnde suppositum vel hypostasis nominatur. Ergo persona non est idem quod essentia.

Sed contra est quod August. dicit 7. de Tri. Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam patris.

Respondet dicendum quod considerantibus diuinam simplicitatem, quæstio ista in manifesto habet veritatem. Ostensum est enim, supra, quod diuina simplicitas

X 3 citas

Marfil.

Verior & facilius respondet.

202.

Sup 93. ar. 2. Et 1. d. 34. q. 1. ar. 1.

230 ar. 2. & 9. 28. ar. 3.

Lib. 7. de Trin. cap. 6. circa princ. ib. 3.

23. ar. 2.



*Virum sit dicendum tres personas esse
vni. vs. essentia.*

*Boet. lib. de
Tri. non pro-
cul à fin.*

28. art. 1.

29. art. 4.

citatio hoc requirit, quod in Deo sit idem essentia & suppositum quod in substantiis intellectualibus nihil est aliud, quam persona. Sed difficultatem videtur ingerere, quia multiplicatis personis diuinis, essentia retinet unitatem. Et quia ut Boet. dicit, Relatio multiplicat personarum Trinitatem, posuerunt aliqui hoc modo in diuinis differre essentiam & personam, quarum relationes dicebant esse assistentes, considerantes in relationibus, solum quod ad alterum sunt, & non quod res sunt. Sed (sicut supra ostensum est) sicut relationes in rebus creatis accidentaliter insunt, ita in Deo sunt ipsa essentia diuina. Ex quo sequitur, quod in Deo non sit aliud essentia, quam persona secundum rem, & tamen quod personæ realiter ab inuicem distinguantur: persona enim (ut dictum est supra) significat relationem, prout est subsistens in natura diuina. Relatio autem ad essentiam comparata non differt, sed ratione tantum. Comparata autem ad oppositam relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem. Et sic remanet vna essentia & tres personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod in creaturis non potest esse distinctio suppositorum per relationes, sed oportet quod sit per essentialia principia, quia relationes non sunt subsistentes in creaturis. In diuinis autem relationes sunt subsistentes. Ideo secundum quod habent oppositionem ad inuicem, possunt distinguere supposita: neque tamen distinguitur essentia, quia relationes ipsæ non distinguuntur ab inuicem, secundum quod sunt realiter idem cum essentia.

Ad secundum dicendum, quod in quantum essentia & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno quod negatur de altero: & per consequens, quod supposito vno non supponatur alterum.

Ad tertium dicendum, quod rebus diuinis nomina imponimus secundum modum rerum creaturarum: ut supra dictum est. Et quia naturæ rerum creaturarum indiuiduantur per materiam quæ subiicitur naturæ speciei; inde est quod indiuidua dicuntur subiecta vel supposita vel hypostases. Et propter hoc etiam diuinæ personæ supposita vel hypostases nominantur, non quod ibi sit aliqua suppositio vel subiectum secundum rem.

CONCLUSIO est, Persona idem realiter est cum essentia differt autem solè ratione. De hac re disputatio. f. tractauimus.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non sit dicendum tres personas esse vnius essentia. Dicit enim Hilarius in libr. de synodis, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt quidem per substantiam tria, per consonantiam vero vnum. Sed substantia Dei est eius essentia. Ergo tres personæ non sunt vnius essentia.

2. Præterea. Non est affirmandum aliquid de diuinis, quod auctoritate Scripturæ sacræ non est expressum, ut patet per Dionys. 1. cap. de diuinis nomin. Sed nunquam in Scriptura sacra exprimitur quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnius essentia. Ergo hoc non est asserendum.

3. Præterea. Natura diuina est idem quod essentia. Sufficeret ergo dicere, quod tres personæ sunt vnius naturæ.

4. Præterea non conuenit dici quod persona sit essentia, sed magis quod essentia sit personæ. Ergo neque conuenienter videtur dici, quod tres personæ sunt vnius essentia.

5. Præterea. Aug. dicit quod non dicimus tres personas esse ex vna essentia, ne intelligatur in diuinis aliud esse essentia & persona. Sed sicut præpositiones sunt transitivæ, ita & obliqui. Ergo pari ratione non est dicendum, quod tres personæ sunt vnius essentia.

6. Præterea. Id quod potest esse erroris occasio, non est in diuinis dicendum. Sed cum dicuntur tres personæ vnius essentia, vel substantia, datur erroris occasio. Quia, ut Hilar. dicit in libr. de synod. vna substantia Patris & Filij prædicata, aut vnum qui duas nuncupationes habet, substantiam significat, aut diuinitatem vnam substantiam duas imperfectas fecisse substantias, aut tertiam priorem substantiam quæ à duobus usurpata sit & assumpta. Non est ergo dicendum, tres personas esse vnius substantia.

Sed contra est quod Aug. dicit in libr. contra Maximinum, quod hoc nomine homouision, quod in consilio Niceno aduersus Arrianos firmatum est, idem significat quod tres personas esse vnius essentia.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) intellectus noster res diuinas nominat: non secundum modum earum, quia sic eas cognoscere non potest.

rest, sed secundum modum in rebus creatis inuentum. Et quia in rebus sensibilibus à quibus intellectus noster scientiam capit, natura alicuius speciei per materiam indiuiduatur: & sic natura se habet vt forma, indiuiduum autem vt suppositū formæ: propter hoc etiam in diuinis quantum ad modum significandi, essentia significatur vt forma trium personarum: dicimus autem in rebus creatis formam quamcunque esse eius cuius est forma, sicut sanitatem vel pulchritudinem hominis alicuius. Rem autem habentem formam non dicimus esse formæ, nisi cum adiectione alicuius adiectiui, quod designat illam formam. Vt cum dicimus, ista mulier est egregiæ formæ, iste homo est perfectæ virtutis. Et similiter, quia in diuinis multiplicatis personis non multiplicatur essentia, dicimus vnā essentiam esse trium personarum, & tres personas vnus essentia, vt intelligatur isti genitui constructi in designatione formæ.

Ad primum ergo dicendum quod substantia sumitur pro hypostasi, & non pro essentia.

Ad secundum dicendum, quod licet tres personas esse vnus essentia non inueniatur in sacra Scriptura per hæc verba: inuenitur tamen quantum ad hunc sensum. Sicut tibi, Ego, & Pater vnū sumus. Et ego in Patre, & Pater in me est. Et per multa alia haberi potest idem.

Ad tertium dicendum, quod quia natura designat principium actus, essentia vero ab essendo dicitur, possunt dici aliqua vnus natura, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed vnus essentia dici non possunt, nisi quorū est vnus esse. Et ideo magis exprimitur vnitas diuina per hoc, quod dicitur quod tres personæ sunt vnus essentia, quam si diceretur quod sunt vnus natura.

Ad quartum dicendum, quod forma absolute accepta consuevit significari, vt eius cuius est forma, vt virtus Petri. E converso autem res habens formam aliquam non consuevit significari vt eius, nisi cum volumus determinare siue designare formam. Et tunc requiruntur duo genitui, quorum vnus significet formam, & alius determinationem formæ: vt si dicatur, Petrus est magnæ virtutis. Vel etiam requiritur vnus genitiuus habens vim duorum genitiuorum: vt cum dicitur, vir sanguinū est iste, id est, effusor multi sanguinis. Quia igitur essentia diuina significatur vt forma respectu personæ, conueniēter essentia personæ dicitur, non autem ē conuersio nisi aliquid addatur ad designationem essentia, vt si dicatur quod Pater est persona diuina essentia, vel quod tres personæ sunt vnus essentia.

nationem essentia, vt si dicatur quod Pater est persona diuina essentia, vel quod tres personæ sunt vnus essentia.

Ad quintum dicendum, quod hæc prepositio ex, vel de, non designat habitudinem causæ formalis, sed magis habitudinem causæ efficientis vel materialis. Quæ quidem causæ in omnibus distinguuntur ab his quorum sunt causæ. Nihil enim est sua materia, neque aliquid est suum principium actiuum. Aliquid tamen est sua forma, vt patet in omnibus rebus immaterialibus. Et ideo per hoc quod dicimus, tres personas vnus essentia significando essentiam in habitudine formæ, non ostenditur aliud esse essentia quā personæ: quod ostenderetur, si diceremus tres personas ex eadem essentia.

Ad sextum dicendum, quod sicut Hilarius dicit in lib. de synod. male sanctis rebus præiudicatur. si quia non sanctæ à quibusdam habentur, esse non debeant. Sic, si male intelligitur homouision, quid ad me bene intelligentem? Sic ergo vnā substantia ex vna geniti proprietate, non sic autem ex proportionem, aut ex vnione, aut ex communionem.

Lib. de syn. in vlt. folio anno sin. 14.

CONCLUSIO est, Vna essentia dicitur esse trium personarum, & tres persone dicuntur esse vnus essentia. De consubstantialitate personæ Filij, & Spiritus sancti cum Patre iam differuimus disp. 109. & 110, nunc vero solum notandus est modus loquendi quem probat S. Tho. in hoc art. Dicimus itaque tres personas esse vnus essentia, & contra, vnā essentiam esse trium personarum: quo modo loquendi videtur 6. synodus actione 4. cum ait. *Trinitas est vnus voluntatis & vnus operationis.* Adde etiam recte dici posse. *Tres persone sunt deitatis: sic enim communiter dicimus, Pater, & Filius, & Spiritu sanctus sunt tres personæ Deitatis.*

Modus loquendi s. Th. inuenitur in 6. synod.


ARTICVLVS III.

Virum, nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus personis.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod nomina essentialia (vt hoc nomen Deus) non prædicentur singulariter de tribus personis, sed pluraliter. Sicut enim homo significatur vt habens humanitatem, ita Deus significatur vt habens Deitatem. Sed tres personæ sunt tres habentes Deitatem. Ergo tres personæ sunt tres Dij.

104 ad 4. ar. 3. s. Et Boet. Tri. q. 1. ar. 4.

2. Præterea Genes. 1. vbi dicitur: In principio creauit Deus cælum & terram. Hebraica veritas habet, Elohim: quod potest interpretari dij siue iudices. Et hoc dicitur propter pluralitatem personarū, Ergo tres personæ sunt plures dij & non vnus Deus.



Lib. 1. de divi.
Christi. ca. 5
tam. 3.

3. Præterea. Hoc nomen, res (cum ab solute dicatur) videtur ad substantiam pertinere. Sed hoc nomen pluraliter prædicatur de tribus personis. Dicit enim August. in lib. de doct. Christ. Res quibus fruendum est, sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus. Ergo & alia nomina essentialia pluraliter prædicari possunt de tribus personis.

4. Præterea. Sicut hoc nomen, Deus significat habentem Deitatem: ita hoc nomen, persona, significat subsistentem in natura aliqua intellectuali. Sed dicimus tres personas. Ergo eadem ratione dicere possumus tres deos.

Sed contra est quod dicitur Deus 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

Respondeo dicendum, quod nomen essentialium quædam significant essentialiam substantiæ, quædam vero adiectiue. Ea quidem quæ substantiæ essentialiam significant, prædicantur de tribus personis singulariter tantum, & non pluraliter. Quæ vero adiectiue essentialiam significant, prædicantur de tribus personis in plurali. Cuius ratio est, quia nomina substantiua significant aliquid per modum substantiæ, nomina vero adiectiua significant aliquid per modum accidentis quod inhæret subiecto. Substantia autem sicut per se, habet esse, ita per se habet vnitatem vel multitudinem. Vnde & singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, vel multitudinem. Et ideo in adiectiuis attenditur singularitas, & pluralitas secundum supposita. In creaturis autem non inuenitur vna forma in pluribus suppositis nisi vnitatem ordinis, vt forma multitudinis ordinatæ. Vnde nomina significantia talem formam si sint substantiua, prædicantur de pluribus in singulari, non autem si sint adiectiua. Dicimus enim quod multi homines sunt collegium vel exercitus aut populus dicimus tamen quod plures homines: sunt collegiati: in diuinis autem essentialia diuina significantur per modum formæ, vt dictum est. Quæ quidem simplex est maxime vna, vt supra ostensum est. Vnde nomina significantia diuinam essentialiam substantiue singulariter & non pluraliter de tribus personis prædicantur. Hæc igitur est ratio quare Socratem & Platonem & Ciceronem dicimus tres homines: patrem autem & Filium & Spiritum sanctum non dicimus tres Deos, sed vnum Deum:

Ar. præc. 3.
q. 3. art. 2.
2. 3. art. 7.
q. 11. ar. 4.

quia in tribus suppositis humana natura sunt tres humanitates, in tribus autem personis est vna diuina essentialia. Ea vero quæ significant essentialiam adiectiue, prædicantur pluraliter de tribus, propter pluralitatem suppositorum, dicimus enim tres existētes, vel tres sapientes, aut tres æternos & increatos, & immensos, si adiectiue sumantur. Si vero substantiue sumantur, dicimus vnum increatum, immensum & æternum, vt Athanas. dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Deus significet habentem Deitatem: est tamen alius modus significandi. Nam Deus dicitur substantiue, sed habens Deitatem dicitur adiectiue. Vnde licet sint tres habentes Deitatem, non tamen sequitur quod sint tres Di.

Ad secundum dicendum, quod diuersæ linguæ habent diuersum modum loquendi. Vnde sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases: ita & in Hebræo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos, neque substantias ne pluralitas ad substantiam refertur.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen, res, est de transcendentibus. Vnde secundum quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in diuinis: secundum vero quod pertinet ad substantiam, singulariter prædicatur. Vnde Aug. dicit ibidem, quod eadem Trinitas quædam summa res est.

Ad quartum dicendum, quod forma significata per hoc nomen, Persona, non est essentialia vel natura, sed personalitas. Vnde cum sint tres personalitates, id est, tres personales proprietates in Patre & Filio & Spiritu sancto, non singulariter, sed pluraliter prædicantur de tribus.

Notationes circa articulum.

DVÆ sunt conclusiones articuli. Prior est. Nomina substantiua concreta essentialia, vt DEVS, &c. singulariter dicuntur de tribus personis: Altera est. Nomina adiectiua, vt SAPIENS pluraliter dicuntur de tribus personis. Ex quibus duæ regulæ colliguntur vniuersum, tam in rebus creatis, quam in Deo: vna est, nomina concreta substantiua pluraliter, aut singulariter dici secundum vnitatem: vel numerum formarum, non suppositorum. Altera regulæ est, adiectiua sequi non vnitatem, & numerum formarum, sed suppositorum.

Deinde cum Caier. obseruandum est, in aliquibus coëticibus in titulo huius articuli additum esse. Vt hoc nomen DEVS, ex quo colligitur ipse, quodlibet esse e nominibus concretis, non abstractis: & sane S. Th. qui titulos non præfixit articulis, in principio argumenti, vbi solet ipsos titulos ponere, sic ait, Ad tertium sic proceditur, videtur, quod nomina essentialia, vt hoc nomen deus, non prædicantur singulariter, cui consonat doctrina totius articuli. Iam vero doctrinam ipsius articuli more solito tractemus. DIS